Morbio 24 (39)

In nomine domini Amen. Anno natiuitatis eiusdem Millesimo quingentesimo quarto Indictione septima, die tertio mensis nouembris. Actum in castro Casalis et in camera
deaurata ipsius castri versus occidentem, Presentibus Magnifico domino Camillo de S.to georgio ex comitibus Blandrate Marchionalis Consilij preside, Magnificis equitibus
et doctoribus dominis Bartholomeo de signorio de Capuata et francisco grosso marchionalibus Consiliarijs, ac Spectabilibus Galeoto de carreto ex marchionibus
Saone marchionali Sescalcho, et Federico de S.to georgio ex comitibus Blandrate marchionali Camerario, testibus notis et idoneis ad omnia et singula
infrascripta vocatis specialiter et rogatis: In quorum quidem testium et mei infrascripti notarij presentia Constitutus ante conspectum Ill.mi Principis et Ex.mi domini Gulielmi
Marchionis Montisferrati ... nobilis Joannesgabriel natta filius spect.lis quondam domini Jacobi natte, suo nomine, ac Commendatorio nomine nobilium Alexandri
et Hectoris de nattis fratrum suorum minorum, pro quibus de rato promisit et promittit infra quatuor menses postquam peruenerit ad etatem legitimam
Exposuit sue Ill.me dominationi suo et dictis nominibus, Sicut dictus quondam dominus Jacobus eorum fratrum pater tenebat in feudum ab isto Ill.mo domino
Montisferrati Certam partem castri, et Castellantie loci Insule cum parte census Jaminorum triginta octo auri, qui debentur singulo anno a Comunitate
ipsius loci Insule. Item certam partem castri et Castellantie Longi. Item certam partem castri et Castellantie Baldesti cum Iuribus Iurisdictionibus
honorantijs et alijs pertinentijs ad ipsas partes spectantibus. Item habebat et tenebat certam partem census et ficti modiorum octo grani in comunitate
et hominibus Glarolarum. Item certam partem ficti florenorum sex in potaria loci Bozolarum. Item certam partem census et ficti ducatorum septem in
nobilibus Bozolarum annuatim. Item certam partem census vnius ducati in nobile Jo: antonio de guatijs de valentia et heredibus suis: Item habebat
et tenebat certam partem bonorum feudalium et honorantiarum ac Iurium acquisitorum in loco et finibus lazaroni a nobile Marchino de vicecomitibus de lazarono, vt
de his omnibus constabat suis Inuestituris: Et quia defunctus est dictus dominus Jacobus, relictis ipsis Joannegabriele Alexandro et Hectore suis filijs legitimis
et naturalibus, ad quos tanquam ad proximiores in gradu succedendi predicte omnes partes feudales spectant et pertinent legitimo Iure, Supplicauit prefato Ill.mo
domino Marchioni humiliter predictus Jo: gabriel suo et dictis nominibus dignaretur sua Ill.ma dominatio eum Inuestire, suo et dictis nominibus de suprascriptis
omnibus et singulis partibus feudalibus, fictibus et Censibus, his modis et formis quibus dictus quondam dominus Jacobus fuerat Inuestitus, et in dictis suis Inuestituris
continetur, offerens se paratum suo et dictis nominibus predictam Inuestituram recipere, et fidelitatis Iuramentum prestare ac alia facere ad que tenetur et debet.
Prefatus autem Ill.mus dominus Marchio Attendens huiusmodi requisitionem Iuridicam et honestam esse, participato prius suorum procerum et Consiliariorum consilio et apparere
Eundem Joannemgabrielem coram sua Ex.tia flexis genibus constitutum sic petentem requirentem et acceptantem suo et dictis nominibus de suprascriptis partibus
Castri et Castellantie loci Insule, et census Jaminorum trigintaocto auri qui soluitur singulo anno a Comunitate ipsius loci Insule, Castri et Castellantie
Longi, Castri et Castellantie Baldesti cum Iuribus Iurisdictionibus honorantijs et alijs pertinentijs ad ipsas partes spectantibus, Ac de partibus census et
ficti modiorum octo grani qui debetur singulo anno a comunitate et hominibus Glarolarum; Census et ficti florenorum sex in potaria loci Bozolarum;
Census et ficti ducatorum septem in nobilibus Bozolarum annuatim; Census et ficti vnius ducati singulo anno in nobile Jo: ant.o de guatijs de
valentia et heredibus suis; Ac de parte bonorum feudalium et honorantiarum ac Iurium acquisitorum in loco et finibus lazaroni a nobile Marchino de vicecomitibus de
lazarono, Inuestiuit et presentialiter Inuestit, his modis et formis quibus dictus quondam dominus Jacobus fuerat Inuestitus, et in suis Inuestituris continetur, Iure tamen
feudi, superioritatis et alti dominij, et alio quocunque Iure sue Ex.tie semper saluo. Qua quidem Inuestitura sic vt premittitur facta predictus Jo: gabriel suo et
dictis nominibus prestitit solenne fidelitatis Iuramentum Iurans ad sancta dei euangelia, in suam et dictorum fratrum suorum animam, tactis corporaliter scripturis
In manibus prefati Ill.mi domini Gulielmi Marchionis, quod ipse Jo: gabriel et dicti sui fratres erunt prefato Ill.mo domino Marchioni suisque heredibus et successoribus boni et fideles
vasalli, nihilque vnquam dicent, facient, tractabunt vel machinabuntur, neque consentient dicenti vel machinanti, quod sit contra honorem personam et statum prefati
Ill.mi domini Marchionis, suorumque heredum et successorum, Immo si talia dici fieri vel tractari sentient, totis viribus Impedient ne fiant, Et nihilominus
ea omnia prefato Ill.mo domino Marchioni suisque heredibus et successoribus vel personaliter vel per fidum nuntium fideliter Intimabunt. Et demum ea omnia
dicent facient obseruabunt et adimplebunt, que vnusquisque bonus et fidelis vasallus pro suo vero, alto, et naturali domino facere tenetur et debet,
et in capitulis veteris et noue forme fidelitatis plenius continetur. Precipiens prefatus Ill.mus dominus Marchio, et rogans dictus Jo: gabriel
suo et dictis nominibus de premissis omnibus et singulis per me notarium infrascriptum fieri publicum Instrumentum dictamine sapientis si fuerit opportunum.



Ego Antonius maymonus filius quondam Joannis de Loro Lu... dioresis Casalensis publicus Imperiali auctoritate notarius et marchionalis
secretarius suprascriptis omnibus et singulis dum sic ut premittitur agerentur presens fui, et suprascriptum instrumentum iussus et
rogatus recepi. Quod alijs occupatus negotijs per alium mihi fidum scribi feci, et in suprascriptam formam redegi. Et quia facta cum
originali meo diligenti auscultatione concordare inueni, ideo hic me subscripsi cum appositione soliti signi mei tabellionatus in fidem
et testimonium omnium premissorum.

p. 16 g. 2 a 4

...m. gac... de g... m... ... marcij ... 1572

344.

1504. 13 [illegible]

T 2 N. 2

N.° 38:

1504 [illegible]

.INVESTITURA.
.XIII.

Concessa [illegible] Gabrieli Flare et eius [illegible] Hectori et Alexandro [illegible] corum [illegible] de anno 1504 a [illegible] Guglielmo M. Notario.

Morbio 24 (38)

[stamp]

Nobilis [illegible] Calvi [illegible] pro morte patris [illegible] 3 [illegible]

[illegible] Hectore [illegible] Baldino [illegible] et aliis.